



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Liternvm Colonia cur nunc Turris Patriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

obsidionem, capi potuisse. Nunc autem inter ruinas ingentes adhuc murorum & turriū fundamenta, atque ex rupibus excisæ fossæ profundissimæ cernuntur. Cumis deinde cum *Gauro* monte relictis, *via Domitiana* (quam admodum luculenter nobis Statius poëta in *Siluis* suis describit) sæpius interruptæ reliquias reperiunt: nec non ingentes lapidei pontis ruinas in *Vulturno* positi: quam viam ex *Appia* inter *Minturnas* ac *Suessam* *Domitianus* inchoatam per campum *Stellatam* atque *Literninas* paludes duxerat vsque *Cumas*; sicut ex hendecasyllabis dicti *Statij Papinij* poëtæ colligimus: qui etiam pontis in *Vulturno* meminit, nec non arcus triumphalis in viæ huius ingressu ad *Appiam* *Domitiano* positi ex marmore *Ligustico*; cuius, nescio, an extent adhuc reliquiæ.

LITERNVM COLONIA

cur nunc Turris Patria.

Videbis tamen ad viæ laeuam in itinere *Literni* veteris Romanorum coloniae ruinas, iuxta speculam in litore positam, quam vulgo nunc *Turrem patriæ* vocant à maioribus tradita nuncupatione: sic vt videatur inde defluxisse nomen hoc, quia *P. Scipio maior Africanus* voluntario secessu suo locum nobilitarit, patriam Romanam fugiens, ac priuatim in villa sua vitam ibi finiens, ciuium suorum criminationibus iniquis offensus. Nam immortalem patriæ inurens ingritudinis notam, voluntatis extremæ decretum sepulchro ibidem suo insculpi iusserat: quo cineres ossaque sua negabat ingrata, quam in cineres collabi, *Pœnis*que seruire passus non fuerat. Animi, me hercle, pij, moderatiq; magnitudine maior tum *Scipio* fuit, quam tot antè partis victoriis: qui non armis, ac *Cn. Coriolani*

§ §

violenti-

violentia, sed sola ingratitude accusacione civium suorum iniurias vlcisci satis habuit: patriam vivus, mortuusque voluntaria absentia sua, tanquam exilio quodam, multare volens. Plus etenim *Roma* perdidit in fortissimo ciue principe senatus sui, quam *Scipio* in patria sponte derelicta: quem nihilominus rerum præclare gestarum gloria, virtutumque maiestas semper indiuiduæ sequebantur. Auctores sunt *Liuius*, *Strabo*, *Val. Maximus*, aliique plures, *Literni* in villa sepulchrum *Africani* maioris fuisse. Quibus astipulatur itē *Anneius Seneca* in xxvii. ad *Lucilium* suum epistola, quam ex eadem *Scipionis* villa tum adhuc extante *Literni* scripserat; vbi & eius frugalem structuram, locique situm exactius depingit. *Plinius* item naturalis historię scriptor testatur libri xvi. capite ultimo, sua ætate in *Liternino* durasse prioris *Africani* manus satas oliuas: item *myrtum* eiusdem in loco conspicue magnitudinis, & sub ea specum fuisse dicit; in quo manes eius custodire draco ferebatur. Hinc item fabula fortassis ad posteros dimanauit de monte *Draconis* non procul distito, vbi & nunc affirmant accolæ *Massici* promontorij illius in specu vasto sub ara quadam in ædícula *D. Marti* vetusta latitare draconem, qui intrantes primùm exanimet retro veneno, & postea deuoret: atque castello montique nomen inde impositum esse, quemadmodum *L. Ponsanus* in historia belli *Neapolitani* memoriæ prodidit.

SYNOPE, VEL SINVESSA
colonia.

SV B arce maioris *Draconis*, antiquissima quondam Græcorum colonia *Synope*, à Romanis *Sinuessæ* post appellata, cuius peringentes.